

Sed jam Memnoniis Titan properabat ad undis  
 Efferre ardente currum, igniferosque jugales.  
 Ergo imam tenues terram, & sua corpora vitæ  
 Jam repetunt, summo se reddunt ardua olympos  
 Numinis, dispersi varias Heroes in oras  
 Quisque suam redeunt ad sedem: mea Diva,  
 Quæ vidi, immensum jubar evulgare per orbem,  
 Ac fugiens celeri se tollit in æthera cursu.  
 Ipse libens Divæ jussa exequor: en sonat omne  
 Arcadicum nemus, & vocem septena remittunt  
 Culmina: se domina late diffundet ab Urbe  
 Fama loquax, magni confinia ad ultima Mundi  
 Visa arcana ferens ultra & Garamantas, & Indos.

---

- (1) Petrus Corarius, qui avite nobilitatis decus propriis  
 ipse dotibus, atque virtutibus cumulavit in immensum,  
 jam ultra decennium in legationibus nobilissimis versatus est per Europam. Is adhuc erat Viennæ superiore anno  
 in ipsa illa prima ejus urbis trepidatione post irruptionem  
 a Borusso factam in Bohemiam, & Pragensem cladem,  
 qua in urbe, ut & alibi ubique, magnificentissime vixit,  
 & apud Imperatorem, ac Imperatricem Reginam difficultima queque patriæ negotia summa cum dexteritate, &  
 vero etiam felicitate, atque omnium adprobatione tractavit.
- (2) Electionem recentem Clementis XIII. P. M. e Venetæ  
 itidem Senatoria Rezzonicorum familia, publicam totius  
 urbis lœtitiam, & plausum, nemo non novit; ac festa  
 magnificentissima ab ipso Veneto Legato Corario publice  
 exhibita sunt sane notissima & hic Romæ, & per Euro-  
 pam universam, per quam ea diariis impressa publicis  
 evulgata sunt.
- (3) Est mihi egregium omnino telescopium, Jovi in primis